

scriptum reperimus *Ant. V, 17*, addito tragico rei exitu, & simili de *Theuda* quodam historia. *Asleclas Jude* illius à *Pbariseis* non discrepasse ait *Josephus*, nisi quod nimium libertatis amorem constanter tenuerint, solum *DEUM* Dominum ac Principem dicendum existimantes, & nullatenus moti fuerint maximis tormentis, quæ animi magnitudo summopere creverit in populo Judaico occasione injuriarum à *Floro* ipsi illatarum. Denique *Essæos* ibidem, non obstante, quod *Pbariseorum* institutum professus fuerit, maximis extollit laudibus, quod mirum videti poterat. Sed mirari desinet, qui considerat, quod circa illa tempora *Pbarisei* cum ipsis *Saduceis* conversatione aluerint, cum illis comederint, sacrificaverint ac in judiciis assessores fuerint; quæ de re *Josephum* & *N. T.* conferre possumus, vid. *Drusius l. 3. de i. Sect. Ex eo Lund. antiq. Jud. l. 4. c. 13. p. 794*, unde etiam cuivis Judæo licuit parti, cui vellet, adherere. Laudes *Essæorum* magis adhuc auget *Josephus Lib. 2. de Bell. Jud. cap. 12*, ubi fusissime de illis tractat, de *Pbariseis* quoque & *Saduceis* nonnulla exhibens, ad quem locum in citato *Antiquitatum* libro provocat, non veritus dicere: quod *optimi* inter Judæos existimentur *Essæi*, utpote qui justitiæ quam maximè fuerint dediti. Refert quoque, quod à matrimonio planè abstinuerint, exceptis quibusdam, qui tamen in peculiari castitate vixerint cum uxoribus; quod servorum ministerio non sint usi & servarint inter semet communionem bonorum, certis ex Sacerdotum numero electis administratoribus commissorum, licet numerus *Essæorum* fuerit ultra 4000; item quod omnia juramenta illicita existimaverint, & animarum immortalitatem, sed absque corporis resurrectione, defenderint; denique quod multi ex iis dono prophetiæ fuerint præditi, conf. exemplum *lib. 15. c. 13. Antiquit.*; etsi ultimum illud magnificentius jactatum sit quam verius.

§. 4. Talia de *Sectis Sapientum vel Philosophorum* quod nomen *Josephus* illis in memorato *Lib. II de Bello Jud. c. XII. circa finem* tribuit, inter Judæos ex eodem maximè Auctore agnoscere licuit. Caterum ad dicti præcipuè nostri enodationem respiciens, neque omnia de ortu, nominibus, sententiis ac moribus

bus